



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Exemplorvm Libri Tres**

Liber Secvndvs, Siue Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm  
Detestationem, Per Qvadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 4. Cur, & quām diuersi in Ecclesia sint homines?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](#)

IV.  
**CVR, ET**  
**QVAM DIVER-**  
**SI IN ECCL-**  
**SIA SINT HO-**  
**MINES?**  
**Matth. 13.**  
**Matth. 3.**  
**S. Augustin.**  
**lib.1. de ciuit.**  
**cap 35.**

Verè Ecclesia similis est sagenæ missæ in mare, ex omni gene-  
 re piscium congreganti, & velut area, in qua non modò triticum  
 congregandum in horreum, sed etiam paleæ comburendæ igni in-  
 extingibili reperiuntur. Perplexæ sunt istæ duæ ciuitates, in hoc secu-  
 lo, inuicemq; permixtae, ait S. Augustinus, donec ultimo iudicio diri-  
 mantur. Hac ratione sunt qui curent, & qui curentur; monendi, &  
 monitores. Hinc frater ille minor annis, maior pietate, quoties se  
 se offerebat occasio opportuna, suauibus verbis monebat alterum,  
 vt tandem ad se rediret, turpes illecebras desereret, Spiritum S. per  
 se loquentem non contemneret. Sed lapidi loquebatur. Enimue-  
 rò, quasi iaculum in rupem vibrasset, ita, pro fraterna correptione,  
 conuictia resiliabant. Iussit enim eum suas res agere, non cu-  
 rare alienas: non moris esse dictitans, vt minor maiorem instruat;  
 discipuli proinde ad eum, non magistri partes pertinere. Quam  
 sapienter ille, Sepe ego, inquit, audiui, cum primum esse virum, qui  
 ipse consulat, quid in rem sit. Secundum eum, qui bene monenti obediatur.  
 Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse.  
 Huius generis haud paucos videoas mortales, qui cum ipsi ob men-  
 tis inopiam, nequeant desplicere, quid facto sit opus, dictu tamen  
 mirum, quam sint præfracti, quamque non admittant alienum  
 consilium, videlicet asinum illum referentes Horatianum, qui cùm  
 nec viam nosset, nec duci pareret, in rupem præceps datus est. Ta-  
 lis erat iste adolescens, vecors sibi, & ad fratris vocem rupe durior.  
 Sua igitur via, immo in nouacula acie pergens miser, otio se se de-  
 debat, domi parietes, foris plateas omnes circuiens; illic fenestras,  
 hic viarum strata terens. Neque enim lectio illum delectabat libro-  
 rum; neque scriptio detinebat, aut iucundarum annotatio historiarum.  
 Vagari, non studere, mens erat: aut, si quando, temporis  
 fallendi gratia, libellum in manus sumebat, inutilem sumebat, aut  
 curiosum; saepius etiam perniciosum. Si quis ab eo, quid libri lege-  
 ret, petisset, solos poterat Ouidios, Amadisios, & alios eiusdem  
 farinæ authores nominare. Subtilia speculari, non esse nobilium  
 dicebat. Si quando, præ otij ipsius tædio, aliquid agere incipiebat,  
 rebus solebat se inanissimis occupare. Fenestras frangere; rumpe-  
 re ianuas; euertere lecticas, aut destruere arcas; vt optarent alij il-  
 lum otiosum potius esse, quam negotiosum, Quanquam ipse sponte  
 sua

sua erat laboris fugitans, nullaq; re seria occupabatur; idque vnum videbatur maximè curare, vt curaret nihil; habebatque promptas excusationes, vt se à negotijs subduceret. Mane in multam lucem dormiebat; à prandio, crapula dominante, somnum captabat, per multas horas, nisi cum ludi, vel socij excitaissent. Nimurum, nomine lassitudinis, multa sibi permittebat; cùm tamen nulla re, nisi desidia, lassaretur. Vnde cedens tædio tristitiaque, animum non nunquam nimis abijciebat atque contrahebat. Hinc & res diuinias, neque suo tempore, neque suo loco, neque suq; ordine tractabat. Insipidum illi erat, quidquid de Deo, deque salute sua audire cogeretur. Sæpe illi frater, sæpe alij dicebant: *Usquequo piger, dormies,* Prou. 6. 9.  
*quando surges è somno tuo?* Sed ille stupidum se se ad omnes interiores, & exteriores virtutum impulsus exhibebat: totus à pœnitentia alienus, licet quotidie faceret pœnitenda. Nam ex hac acedia, S. Damasc. seu adeò graui, ad exercendas pias actiones, ad salutem necessarias, lib. 2. c. 14. tædio, nasciebatur incredibilis malitia, rancor, pusillanimitas, de S. Greg. lib. 1. speratio & torpor, circa præcepta, mentisque in illicita quæque cf. in 1. Reg. c. 14. fusio. Ita peccati mancipium, hostis virtutum, nihil agebat vñquā, quod vitâ æternâ, semper quod æternâ pœnâ dignum esset; nec sibi, nec alijs vtilis; in quo nullus labor, nulla cura, nulla industria fuit, sed quidam perennis exitij fons, lerna & scaturigo malorum, vno verbo, confluges quædâ vitiorum, & mali commatis homo, publicumque dedecus erat, & *Cerite cera dignus.*

Hæc videns frater, identidem conabatur sanare; sed tanquam Bœoticam cantilenam afferret, aut velut loquax talpa identidem repulsus, verba gemitu lachrymisque terminauit. Non fatigatur labore charitas; vnum ex alio suscipit, vt semper operetur. Quam obrem, quod sanctus iste iuuenis à fratre non obtinuit sermone, precibus conatus est impetrare à Deo; quem assidue precatus est, vt tandem aliquando saxeum seductissimi fratris pectus dignaretur emollire; ne & se perditum iret voluptate, & alias exemplo. Impulit eum ad impensiū precandum, quod videret, à fratre suo tot seduci adolescentes, se autem vnum fratrem non posse reducere in viam; quo resipiscente, si alij illius comilitones non vñà resipiscerent, saltem complures adhuc integri, non de nouo corrumperentur. Institit ergo quotidie apud SS. Trinitatem, nunc Patri suppli-

V.  
 FRATERNAL  
 ORATIONIS  
 MODVS, ET  
 PETITIO.

X

eans;